DE
[F]EBRE PUERPERALI

****

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

[CO]NSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT

[SU]MMI IN MEDICINA HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. MARTII A. MDCCCXXVIII

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

ADOLPHUS SCHMEISSER

HOLSATUS.

OPPONENTIBUS:

MARSCH, MED. ET CHIR. DD.
A. VETTER, MED. DD.
T. WILKE, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIASIS.

FAUTORI BENEVOLENTISSIMO

ET. GODEFFROY,

IVI HAMBURGENSI SPECTATISSIMO,

COGNATO MEO AESTUMATISSIMO

ATQUE AMICISSIMO

ET

VIRO

CELEBERRIMO, ILLUSTRISSIMO
GENEROSISSIMO,

F. HERMBSTÆDT,

DOCTORI, IN UNIVERSITATE LITTEEARIAE BERO-
NSI PROFESSORI PUBL. ORDINAR., NEC NON ACA-
AE REGIAE MEDICO-CHIRURGICAE; REGI POTEN-
MO BORUSSORUM A CONSILIIS INTIMIS, ORDINIS
AQUILAE RUBRAE, ORDINIS BELGICI LEONINI
TI EQUITI, ET COMPLURIUM SOCIETATUM LITTE-
RARIUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI ET FAUTORI
BENEVOLENTISSIMO,

AB

XIMA BENEVOLENTIAE ET HUMA-
NITATIS DOCUMENTA

NEC NON

PATRI OPTIMO DILECTISSIMO,

[. G. SCHMEISSER,

DIC. DOCTORI, COLLEGII SANITATIS REGII SLESVIC.
LSAT. ADSCRIPTO, SOCIETATIS REGJAE SCIENTIARUM ET
DICORUM LONDINENSI ET EDINBURGENSJ, SOCIETATIS
NNEANAE, SOCIETATIS AMICORUM RERUM NATURALIUM
ROLINENSI, GOTTINGENSI, PARISIENSI ET COMPLURIUM
SOCIETATUM SODALI

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

GRATA PIAQUE MENTE

CONSECRAT

AUCTOR.

Praefatio.

Jura meritoque maiores instituere, ut qui summos literis adipiscendos honores capessere voluerint, breviter, quae de aliqua eius artis, scientiaeque cui vitam dicaverunt, provincia eaque pro lubitu electa secum ecogitaverint, pro virium modulo exponerent. Qua in re instituenda duplex veteribus erat consilium, primum, ut tirones, quae didicerint, locum haberent ostendendi; alterum, ut doctrinae et ingenii specimen exhiberent doctoribus. — Quae mihi cogitanti accessit animus, quid valeant humeri experiendi, atque in argumento accuratissime pertractando maximam diligentiam et aliquo studium collocandi.

Non temere autem, neque inconsulto de febre puerperali disserendi consilium cepi, de qua iam a clarissimis omnium temporum medicis tractatum est, et in cuius aetiologia atque cura eruenda cuiusvis

aetatis ut ita dicam Κορυφαῖοι inter se dissentiunt. Mihi autem qui per quatuor annos et supra, virorum clarissimorum cathedris tam in hac celeberrima literarum universitate quam in Hafnia adsedi, illud certe gratissimum opus esse debet, veterum cum sententiis novas vicissim comparare et quamquam nihil novi in promptu mihi est, tamen, quantum possim, vera a falsis secernere atque in hoc libello novum fortasse rei magis convenientem ordinem sequi.

Inter eos auctores autem, qui de febre puerperali scripserunt, licet, hac sive alia morbi denominatione usi sint, maxime hi eminent:

Hippocrates: *de epidemiis lib. I et II, de morbis muliebribus* §. 60-90, *edit. Kühn.*
Riverius: *de praxi medica.*
Willisius: *de febribus.*
Baulinius: *Traité des maladies des femmes en couche.*
Gastellerius: *Traité de la fièvre miliaire des femmes en couche.*
Le Roy: *Premier memoire sur les fièvres aiguës.*
Levret: *L'art des accouchemens.*
Puzot: *Memoire sur les depots laiteux.*
E. Strother: *Criticon febrium, or a critical essay on fevres.*
v. Swieten: *Commentarius in Libr. IVto.*
Gerh. Fauvark: *Dissertatio de Lochiorum metastasi.*
Hulme: *Abhandlung von dem Kindbettfieber. Aus d. Engl.*
John Leake: *Practische Bemerkungen über einige Krankheiten der Kindbetterinnen und Schwangern. Aus d. Engl.*
Burserius de Kanilfeld: *Institutiones medicinae practicae. Vol. I de febribus.*

W. Butter: *An account on the puerperal fever.*

C. White: *Von der Behandlung der Schwangern et cet. Aus dem Engl. von Scherf.*

Th. Kirkland: *Versuch über das Kindbetterinnenfieber. Aus dem Engl.*

S. G. Vogel: *Handbuch der pract. Arzneiwissenschaft.*

De la Roche: *Untersuchung über die Natur und Behandlung des Kindbettfiebers, mit Anmerkungen von Selle. Aus dem Franz.*

D. W. Sachtleben: *Kritik der vorzüglichsten Hypothesen, die Natur, Ursache und Heilung des Kindbettfiebers betreffend.*

John Clarke: *Versuch über die epidemische Krankheit der Kindbetterinnen, welche in den Jahren* 1787 - 88 *herrschte. Aus dem Engl. von Consbruch.*

P. Frank: *Epitome de curand. hominum morbis.*

C. Sprengel: *Handbuch der Pathologie,* 2r *Theil.*

E. Horn: *Archiv für die medizinische Erfahrung.*

J. Pabst: *Ideen über das Kindbettfieber.*

Michaelis: *Ueber das Kindbetterinnenfieber und dessen richtige Behandlung, in Hufelands Journal,* 13r *Band,* 2s *Heft.*

Richter: *Chirurgische Bibliothek, Bd. VIII.*

Marcus: *Magazin für specielle Therapie.*

J. v. Authenrieth: *Versuche für die pract. Heilkunde, aus den klinischen Annalen von Tübingen,* 1s *Hft.*

Schmidtmüller: *Handbuch der medizinischen Geburtshülfe.*

Joh. Boer: *Abhandlungen und Versuche zur Begründung einer neuen einfachen Geburtshülfe.*

Naegele: *Schilderung des Kindbettfiebers, welches vom Juni* 1811 *bis April* 1812 *in der Entbindungsanstalt zu Heidelberg geherrscht hat.*

Feigl: *Etwas zur näheren Bestimmung der Natur des febris puerperalis in Horn's Archiv.*

Armstrong: *Tractes and observations relative to the fever commently called puerperal. London.*

J. W. Conradi: *Grundrifs der Pathologie und Therapie.*

A. G. Richter: *Specielle Therapie.* 2r *Bd.*

J. G. Carus: *Lehrbuch der Gynaekologie.*

D'Outrepont: *Abhandl. im neuen Chiron von Textor.*

D'Outrepont: *Abhandlungen und Beiträge geburtshülflichen Inhalts.*

A. El. v. Siebold: *Versuch einer pathologisch-therapentischen Darstellung des Kindbettfiebers, nebst Schilderung desjenigen, welches im Februar, März, April* **1825** *in der Gebär-Anstalt der königl. Universität zu Berlin geherrscht hat.*

Ch. Joerg: *Handbuch der Krankheiten des Weibes.*

Goeden: *Die zwei Formen des Kindbettfiebers in Hufelands Journal.*

John Douglas: *Bemerkungen über das Kindbettfieber. Aus dem Engl. von Wagner.*

Boer's *und* **Raimann's** *Abhandlungen über das Puerperalfieber, das vom Monat August bis Mitte November zu Wien im Gebärhause herrschte, in den medicin. Annalen des Oesterreich'schen Staates.*

J. N. Raimann: *Handbuch der speciellen medicin. Pathologie und Therapie.*

M. Legouais: *Reflexions et observations sur l'emploie des saignées et des purgatifs dans le traitement de la peritonite puerpérale.*

Lobstein: *Dissertat. sur la fièvre puerpérale, Paris.*

F. Bang: *Selecta diarii nosocomii regii Fridericiani, Hafniensis.*

F. Bang: *Praxis medica, systematice exposita, selectis diarii nosocomii Fridericiani illustrata.*

Jam veteribus hanc febrem nullo modo ignotam fuisse ex Hippocratis de epidemiis libro primo atque tertio et de morbis muliebribus §. 60-90, satis constat, in quibus etiam octo nobis reliquit historias puerperarum, hac febre correptarum, tam similes recentioribus descriptionibus, ut ne hilo qui-

dem inter se differant 1). Quodsi vero statum puerperarum atque gravidarum diligenter consideraverimus, facile apparebit, hunc morbum cum toto illarum habitu tam arcte esse coniunctum, ut, quo loco causae occasionales adsunt, quibus ille evocari potest, ibi neque veteris, neque nostri aevi puerperae ullo modo ab eo cavere possent.

Itaque, quod ad formam morbi, nunc fere omnes medici inter se consentiunt; quod autem ad eius naturam atque causas, nullibi magis doctissimi viri inter se dissensisse videntur.

Quae sententiarum tanta diversitas originem mihi videtur ducere e systematum varietate commentorumque audacia, qua labe nimium laborat ars salutaris.

Priusquam igitur ad illas de natura morbi opiniones pertractandas cingamur, descriptionem morbi, ex nonnullis aegrotantium historiis compositam praemittere liceat, ut illa ratione empirica, cui tantum debet medicina ad veram atque certam morbi cognitionem perveniamus, sequentes Divum Hippocratem, qui dicit:

„Quaenam in his, quae ad morbos spectant „dignatio facienda sit, facile discemus ex communi „omnium et ex cujusque propria natura, ex morbo „et aegroto, ex his, qui offeruntur, et ex eo, qui

---

1] Nomen quidem febris puerperalis primum accepit ab Ed. Strother, alii aliter morbum vocavere.

„offert. Praeterea ex universali et particulari aëris „conditione et regionis cuiuspue, ex consuetudine, „victus ratione, aetate, moribus, etc. etc. 1)

(Hipocratis ibid: aegrota IV)

Historia prima.

„In Thaso Philini uxorem, quae filiam pepe- „rerat, quum purgatio secundum naturam facta es- „set et alias leviter degeret, decima quarta a par- „tu die febris vehemens corripuit cum rigore.

„Ab initio vero coï 2) dolebat, et circa prae- „cordium dextrum, muliebrium partium dolores, „purgatio cessavit. Ubi vero pessum subdidisset, „haec quidem leviora facta sunt. Capitls autem, „colli et lumborum dolores permanebant. Somni „non aderant. Extremitates frigidae. Siticulosa „erat, alvus combusta, pauca eregebat. Urinae te- „nues, ab initio decolores. Sexta die ad noctem „multum deliravit et rursus resipiscebat. Septima „siticulosa, secessus biliosi, abunde colorati. Octava „superriguis, febris acuta, convulsiones multae cum „dolore, multum delirabat. Glande subdita exsurge- „bat, multaque cum fluxione biliosa prodibens. Somni „non aderant. Nona convulsiones. Decima parum „resipiscebat. Undecima dormivit, omnium recordata „est. Statim autem rursus deliravit. Urinam autem

1] De Epidem. Lit. I, S. 3.

2] i. e. scrobiculus cordis.

„reddebat cum convulsionibus acervatam, multam, „illis autem parum admonentibus crassam, albam, „qualis est ex his, quae subsiderunt; ubi multo „tempore sitae fuerint conturbatae; non subsidebat, „color et crassitudo talis, qualis est in urina jumen-„torum. Talia mingebat, quae et ego vidi. Circa di-„cimum quartum diem palpitationes per totum cor pus, sermones multi, parum resipiscebat; verum sta-„tim rursus delirabat. Circa dicimum septimum voce „destituebatur. Vigesima mortua est." —

Talia Hippocrates in genuino τῶν ἐπιδημίων libro 1. narrat. Liceat autem addere, quod Summus magister ille, in eiusdem libri primordies de constitutione aëris dicit:

„In Thaso ad autumnum circiter aequinoctium „pluviae multae, non secus ac spirantibus austris. „Hiems austrina, quae flatus aquilonares parvos et „iusto maiores, siccitates habuit, atque etiam in to-„tum veri similis fuit. Ver autem austrinum, frigi-„dum, parvas habens pluvias. Aestas ut plurimum „nubila, in qua ab imbribus cessatio fuit. Anni ver-„sarii venti, qui etesiae dicuntur parum tenuiter, „disiunctim segregatimque spiravere". —

In hoc aëris statu, qui cuiusque generis morbos muliebres, inprimis autem abortum similesve evocare solet 1), etiam illa Phillini uxor peperat.

Annectamus huic historiae, novam, atque ea re

1] Conf. Hippocr. Aphor. Sect. III, aph. XII, XVI, XX.

vera fere nullo modo diversam, quam nobis tradidit, Illustriss: Boer in opere supra laudato Vol I. pag 121.

Hisoria secunda.

„Anna B . . . . 37 annos agens, constitutione cachectico-biliosa, quam ante diem unam peperisset, nec quidquam contra naturam accidisset, tunc subito ventris tormnibus affecta est. Uterus non satis contractus, ventris dolores et meteorismus, ita ut aegrota ne minimam quidem pressionem ferre posset. Pulsus parvus et celer, sitis vehemens, lingua sicca et muco obducta. Lochia fluxere, lac in mammis. Clysmatibus duobus communibus, tunc leniente subdito, quum alvus erat oppressa electuarium laxans accepit cum potu, quibus datis alvum quinquies duxit. Noctu horrores febriles, sequente vehementiore et continente calore, deliria, tunc sudores, qui totum lectulum humectabant, exinde virium dedolatio; ventris dolores ceteraque durabant. Lochia pauca fluebant, fere nihil lactis in mammis, quamquam infans sanus eis saepius adjecerat. Ad vesperem pulverem puerperarum 1) accepit. Tunc per noctem sudores, qui omnia levabant. Die tertio ventris tumor minutus, dolores fere nulli, „nisi in regione uteri et id etiam tantum si tangebatur. Lochiorum fluxus auctus, urina clara nullo „sedimento. Puerpera vinum petiit, quod uteri do-

1] Ex Antimonii quodam praeparato.

„lorum pulsusque celerioris duriusculique causa non „impetrabat. Horis vespertinis febris paullulum re„surrexit, nec tamen continuabatur. Alvum quum „per horas viginti quatuor non duxisset, clysma „subditum est, quo cum illa soluta denuo pulverem „Antimonii accepit. Subsequebatur urina multa, ju„mentosa, quae per dies 2, 3ve durabat. Per hoc „tempus nulla febris, uterus contractus, mammae „lacte impletae, aegrota restituta.

Historia tertia.

Conf. Selecta diarii nosocomii regii Fridericiani Hafniensis. Auctore F. L. Bang. Tom II P. 163.

„Post partum fauste finitum praeterlapso sex„tiduo femina 24 annorum ad nos ducebatur tribus „diebus aegrotans dolore constanti medii abdominis „et utriusque hypochondrii, decubitu intolerabili, „in lateribus, defectu appetitus, alvo naturali, lo„chia haud fluxerant et in mammis nullum lac ad„fuerat; initio aggressi morbi emeticum propinatum „erat et dein vena semel secta, pulsum inveni cele„rem tensum, abdomen expansum dolens; post venae„sectionem adhuc quinquies institutam et camphorata „intus atque extus applicata die morbi nono dolor „abdominis fere evanuisse dicebatur; die 10mo orie„batur alvi fluxus dolorificus, quo post decem dies „finito nil praeter tumorem crurum deficere videba„tur; die 24to novus gravis dolor accusabatur in „regione hepatis et iliaca dextra, abdomen iterum

„expandebatur et totum corpus hydropicum fiebat; „ob doloris vehementiam iterum e vena sanguis „phlogisticus quater ducebatur, repetebantur cam- „phorata et vesicatorium lateri dolenti imponebatur, „verum accessit diarrhoea cum gravi cardialgia et „vomituritione„ sub quibus die 33tio post aggressum „morbum exspirabat aegrota.

„Aperto cadaveris abdomine mox conspicieba- „tur coalitus universalis omnium viscerum et intes- „tinorum tam inter se invicem quam cum peritoneo, „in latere abdominis dextro multa materia extrava- „sata, densa partim puri inspissato partim coagulo „lactis simile, hepar praesertim obducens, in oppo- „sito latere extravasatum sero lactis simile aderat.

„Casus hic sistit puerperalem febrem non solito „modo intra paucos dies finitam, sed ad plures etiam „hebdomades protractam. Symtomatum indoles ea- „dem in nostra ac in alia puerperali febre vix du- „biam reddit depositionem lactis ad abdomen sub „initiante morbo factam; quare autem terminus „lethalis contra morem adeo procrastinatus erat?

„Plurima extispicia docent febrem puerperalem „mortiferam fieri mediante inflammatione cuiusdam „partis abdominalis communiter uterinae in gangrae- „nam conversa, sub quo progressu citior mors pro „ducitur; apud nostram vero probabile est, inflam- „mationem exortam adhibitis remediis a gangraena „aversam transiisse per generationem puris, quod

„demum hectico modo, ideoque lentiori gradu fu-
„nestum fuit.

Ex his tribus observationibus, nec non caeteris, quae in libris supra commemoratis occurrunt, morbi simulacrum, veluti de speculo adumbrare atque depingere conabor. Incipit morbus post partum seu etiam post abortum 1) infra quatuordecim dies, cuius temporis fines excedere raro solet, si eorum auctoritati, qui se febrem puerperalem 3 vel 4 hebdomadibus post partum obertam observasse contendunt, obesse nolim. Interest autem ut puto, saepius multum inter morbum praesentem manifestum atque occultum, itaque morbus, quamquam prius non observatus tamen tum temporis iam adfuisse potest.

Febrem autem puerperalem saepius ad hebdomadem alteram usque cunctari ex Hippocrate, Burserio, Richter, Sprengel, Conradi, de Siebold, Boër, aliisque testibus satis constat. Burserius enim dicit: „Interdum ante partum, interdum in partu, interdum etiam XIV mo tantum die febrem incedere.

Prodromi, ut capitis dolores, lassitudo aliique rarius observantur, quam subita horripilatio, tormina praecordiorum, regionis umbilicalis, hypogastricae et partium muliebrium dolores, quae symptomata mox sequitur calor, pulsus celer, durus, fortis s.

1] Cf. Hippocr. de morbis mulier: Lib. I. edit. Kühn, Vol. II, pag. 690.

debilis, contractus, irregularis et omnino febrilis, tendinum subsultus, infausta quaedam vultus mutatio, quae verbis reddi non potest, dolores ventris, abdominis tumor et elevatio, quibus interdum antecedunt sive accedunt lochia suppressa, retentio lactis, obstructio alvi sive excretiones nigrae, virides cruentae, foetidissimae, quae autem neque semper adsunt, neque morbi rationem nobis exponunt. Lochia, si fluunt, tunc quidqiud exstillat, valde foetet, interdumque parciora sunt. In pulsu ipso maximam varietatem observant auctores, numerantur intra minutam a 90 — 137 micatus. Ipse in nosocomio Lucinae sacrato berolinensi bis 150 micatus observavi. Lingua alba est et humida, sed brevi crusta quasi mucosa contegitur, aut exsiccatur, indurescit, nigricat. Dolores autem circa epigastrium oriuntur, qui protenduntur ad umbilicum et costas spurias, quin imo ad scapulam usque. Hulme autem haec esse censet pathognomica signa „epigastrii cruciatus, febrem cum ingenti horrore succedentem," (quam saepius deficisse alii testantur) et frontis dolorem. (qui etiam non semper adest).

Haec omnia symptomata morbi instantis et increscentis. Horn, quem virum Illustrissimum sequutus non dubito, quin ad veritatem perveniam, his fere verbis morbi initia explicat 1). Puerperae, si natura debiles, et ante et post partum pravo utun-

1] Cf. Neues Archiv, Bd. 2, Hft. 1, pag. 45, Jahrg. 1807.

tur victu, atque iam prius aliis morbis affectae fuissent, inprimis post nonullos graviditatis status, qui citra normam sanitatis fiunt, post haemorrhagias et blenorrhoeas partium muliebrium, partus si difficilis, cum magnis doloribus sive per artem accidit, tunc mox post partum febrili quodam modo corripiuntur. Qui status febrilis aut novos facit insultus, aut remittet, aus continet, atque idcirco non porro febris lactea appellatur 1). Eadem febris, quae per nonnullos dies febris lactea audit, nunc quemadmodum res se habeat varii generis specimen praebet, atque tunc febris, norvosa, s. puerperarum vocatur. Primum igitur symptomata mitiora febrem lacteam indicant, qui autem adspectus, ne securos nos faciat, valde cavendum est.

De malignitate enim febris, omnes auctores tantopere inter se consentiunt, ut illud Hippocratis dictum pro nostris etiam temporibus valeat:

„ἡ δὲ νοῦσος βληχροτερή καὶ θανατώδης, καὶ διαφεύγουσιν αὐτὴν παῦραι.

Deinde morbus ad stadium ἀκμῆσ, usque progreditur. Tum facta saepe inopinata remissione stadium nervosum significante, fallacissimam spem aegrota concipit, sicuti Philini uxor decima die paullum resipiscebat, undecima dormivit, omnium recordata est, sed statim rursus deliravit. Mox nausea, vomitus, dolores vehementissimi sive stupor, deliria murmurantia, deiectiones nigrae, involunta-

1] Cf. H. Boerhaavii Aphorism. 1329.

riae, meteorismus, omnia symptomata, quorum concursus, teste Hippocrate, mortem irrevocabili fato denuntiant, quem etiam dies undecima saepius affert.

Stadium paralyseos. Hucusque morbus si pervenerit, nulla salus, mors inevitabilis adest. Hic autem suppuratione, apoplexia sive sphacelo efficitur, aut maxima debilitate viriumque vitae defectu, quibus causis etiam illa Philini uxor mortua est. Morbus autem si minus vehemens est, sive arte impeditus, sive vi naturae, tunc sanatio fit per crisin, quam alii per alvi deiectiones et urinam et sudorem, exanthemata miliaria, quae saepius comitantur morbum, se observasse testantur, quamquam reapse teste White nihil in hac febre critici occurrit, nisi diarrhoea. Exitus autem per suppurationem, quem Hippocrates in loco supra laudato per „νοῦσος βληχροτέρη" designat. Varia mortis genera oriuntur ex variis morbi caracteribus, quum et nervosa et inflammatoria, et gastrica et putericta sit febris.

Ex hoc symptomatum conspectu apparet, neque cum Hippocrate eisque, qui eum sequuntur, lochia suppressa, neque cum Franco-Gallis, Boer, ceterisque galactopoesin impeditam, neque cum Guinotio chemicam lactis degenerationem, nec cum Stoll, Lentin, Vogel, statum putrido-gastricum, neque cum Plattner uteri inflammationem, nec cum aliis aliquid praeter naturam in cavo uteri relictum, nec uteri laesiones mechanicas, neque enteri-mensenteri-

s. peritonitidem, neque cum Richter, Home atque Poutav inflammationem ερυσιπελατώδην 1) causas huius febris proximas accusandas esse, sed omnia simul, atque quae ex omnibus maxime praevaleat, ad huius causae rationem febrem sese habituram, qua cum sententia consentiunt et Riverius et White et Burserius et qui inter recentes auctores maxime eminent.

Est igitur febris puerperalis morbus febrilis, ortus ex illa per graviditatem et puerperium evocata irritatione totius systematis vasorum, inprimis abdominalium, nec non systematis nervorum, qui aut iungitur cum inflammatione partium, quae in cavo abdominis sitae per graviditatem et partum δυναμικῶς καὶ μηχανικῶς (i. e. per affluxum sanguinis ad foetum nutriendum et per illius magnitudinem, qua vicinae partes premuntur, nec non per laesiones in partu ipso accidentes et per illos dolores naturales, qui partum comitantur) laeduntur et irritantur, inprimis autem peritonaei, aut eiusdem gravitatis causa complicatur cum statu nervoso, sive gastrico, sive putrido, sive his omnibus invicem se sequentibus aut comitantibus.

Cadaverum sectiones huic meae sententiae non repugnant. Invenerunt enim alii sive nonnulla s. omnia cavi abdominis intestina inflammata, idcirco metritiden seu peritonitiden, seu omentitiden, s.

1) Quam tamen praesentem semper lethalem esse testatur Hippocrates in Aphor. 43, Sect. V.

enteritiden, s. mesenteritiden, nonnulli puerperarum hunc morbum appellavere. Aliarum contra cadavera, quas serius mors comprehenderat, ostendebant materiam purulentam, quae peritonaeum, omentum, hepar 1) ceteraque intestina tegebat, colore ex albo flavescente, flocculis albidis distinctum, qui in liquido quodam sero nantes cavum abdominis hic illic implebant, interdum etiam in cavo pectoris et calvariae occurrebant.

Nunc una, nunc altera pars inceditur, Hunter uterum invenit nullo modo inflammatum, intestina vero et mesenterium inflammata et grangraena et sphacelo affecta, totum cavum impletum cum gase et ichore foetidissimo. „Bang invenit intestina tenuia passim inflammata, uterus etiam quoad superficiem anteriorem inflammatus 2); etiam in alio cadavere ventriculus erat enormis tam quoad longitudinem quam expansionem intus aëre plenus; pars uteri sinistra nec non tuba Fallopii et ovarium eiusdem lateris omnino colorem nigrum habuerunt.» — Saepius omnia verae inflammationis signa in cadavere deficiebant, putridae autem partis nonnullae occurrebant, teste White, Bang. Inflammationes etiam ἐρυσιπελατώδης observatae sunt, nec non multae inflammationis cerebri signa pathognomica protulerunt.

1] Conf. Bang selecta diarii etc.

2] Cf. Eius selecta diarii A. 1782. M. Jan.

Tanta observationum in hoc uno morbo inter se varietas, quarum veritas vel ex ipsa morbi natura apparet, nisi scriptorum gravitas et auctoritas iam sufficeret. Imo etiam clarissimus Burserius dicit:

„Verum quod attinet ad huiusve febris symptomata, adeo varia et diversa ab auctoribus referuntur, ut non facile, quae ipsius propria, quae aliena sunt, quis definiverit."

Ipse autem contendo, nihil certius constare in hoc morbo, quam illam symptomatum varietatem et diversitatem, non modo si morbum in universum spectamus, sed etiam si singularum aegrotantium statum studiose observamus. Similia phaenomena omnes morbi nobis praebent, quorum sedes aut statim fuerit systema nervorum, aut qui mox nervos et cerebrum afficiunt et aegrotantes reddunt. Causas remotas unusquisque auctorum pro suae opinionis ratione enumeravit. Variae profecto sunt, eoque multipliciores, quo magis puerperae in hanc febrem praecipites esse solent. In constitutione aëris et victus ratione inprimis eas positas esse, quis est, qni neget?

Constitutio autem aëris humida 1); sive nimis ardens, venti austrini, quos νότους vocant Graeci, diaeta tenuis, humida, sive nimis carnosa, maxime

---

1] D'Outrepont hunc gravidarum processum cum plantarum vegetatione comparat, quae etiam his tempestatibus augetur.

favent huic febri. Est autem illa observata et sporadice et epidemice, inprimis autem in nosocomiis Lucinae sacratis, quarum epidemiarum exempla extant in nosocomio Londinensi, 1) Parisiensi 2) (Hôtel de Dieu), Hafniensi, 3) Berolinensi, 4) Vindobonensi; Wirceburgensi, multisque aliis, atque quarum historiae s. nosographiae a multis nobis sunt traditae, qui omnes in aëris constitutione veluti causa occasionali accusanda consentiunt. Non deficiunt autem aliae causae, ut uteri laesiones mechanicae, affectiones traumaticae, sordes gastricae, constitutio puerperarum ipsarum, si illae vel nimis humidae at fibra laxa praeditae, vel nimis sunt ardentes, inprimis autem si multum in amore evagatae erant. Priusquam autem ad diagnosin nos vertamus, num sit morbus peculiaris atque sui generis inquirendum est. Sunt enim, ad quos illustrissimi accedunt viri, qui in hanc febrem non solum mulieres, verum etiam viros incidisse contendunt.

Quid quod infitiandum non est, peritonitide, omentitide, ceterisque partium abdominalium inflammationibus cum febre inflammatoria nervosa, seu putrido-gastrica etiam eos homines, qui non puer-

---

3] Cf. Leake pract. Bemerk. üb. d. Krankh. der Kindbetteriunen. Leipz. 1775. p. 17.

2] Cf. Memoirès de l'academie des scienc. 1746. p. 100.

3] Cf. Saxtorphs Schriften herausg. v. P. Scheel. 2rBd.

4] Cf. von Siebold, iam supra laud.

peris laboravere corripi posse, num autem ibi processus vegetationis tantopere irritari possit, hoc est quod dubitem. Atque hac in re, si quidem mea sententia clarissimorum virorum auctoritate nititur, tamen non minori eorum qui in contrariam partem abiere auctoritati magis confido, quam ut arbitrum me idoneum esse iudicem, et adhuc sub iudice lis est. Quod pertinet ad diagnosin, signa pathognomica a nobis iam supra sunt descripta e quibus facile morbus agnosci potest. Inprimis autem semper spectandum erit et puerperium, et ventris dolor et meteorismus et febris. Num lac sit in mammis, num fluant lochia, nec ne, nihil refert atque illa symptomata, si adsunt graviorem tantum morbi statum, non vero alium morbum significant.

Prognosis autem saepius pessuma, interdum mala, rarissime bona est. Sunt autem dies critici et tertius et septimus, et undecimus, indices primus, quintus et nonus, quibus feliciter superatis laetiorem capessere spem licebit. Quamquam nostris temporibus non tam maligna est febris, et hoc certe arti debemus, quam Hippocratis tempore, qui ipse summus magister ne unius quidem puerperae, quam haec febris incesserat, vitam servavit, tamen eam inter morbos maxime malignos numerari opertebit. Quo vehementior autem febris, meteorismus, quo maiores dolores cum suppressione lochiorum et lactis secretionis, eo peius.

Deiectiones decoloratae, foetidae, nisi criticae sint atque leviores aegrotantes reddant, pessuma indicia imo lethalia. Debilitas atque lassitudo, quam somnus non levat, lethales. Insomnia ob dolores sive absque illis, mala. Sudores rarissime critici sunt, fere semper maligni. Inprimis autem spectandum erit et aëris constitutio et victus ratio. Benigniores autem sunt illae febres, quae serius prorupuerunt, peiores quae iam secundo vel tertio, post partum die se ostendunt, quae primo vel secundo post partum die, teste Burserio, lethales esse consueverunt. Peius si cerebrum et pectus, quam si abdomen affectum est, pessuma autem prognosis si morbus caput sedem sibi elegit. Quo magis complicatus est morbus, eo peius. Sudoribus horripilatio intercurrens, secundum Cl. Joerg lethale signum est. Miliaria et macula erysipelatosa pessuma indicia, raro critica. Pulsus si a maxima celeritate sensim sensimque descendens rarior, tardior et mitior fit, tunc bonus exitus est sperandus. Quem si talem efficit diarrohea, haec tunc critica est habenda.

In curanda hac febre multa medicamina et adhibenda sunt et evitanda pro morbi varietate, aegrotae constitutione et rebus externis. Sanguinis missio neque semper est necessaria sive salutaris, ut multi voluerunt, neque plane arcenda. Eam autem indicat pulsus plenus, vehemens et fibratus,

dolores ventris laterumve acerbiores et lancinantes, (teste Burserio). Caveant autem medici, ne modum transeant in sanguinis nimis larga missione atque ne in posterioribus morbi stadiis aegrotam evacuent.

Cel. Boer praeparatum quoddam ex Antimonio, specificum quasi medicamen gloriatur, quo crisis per cutem peragitur, quam quidem saepe salutarem fuisse constat. Nitrum et mercurialia etiam sunt in usum vocata, inprimis hydrargyrum chlorinicum in minimo, partim ad saburram, partim ad statum inflammatorium solvendum. Ad purgationem commendatur Ol. Ricini, salia media, Manna, Tamarindi etc. Adhibeantur etiam suo loco fomentationes aromaticae et narcoticae; ol. hyoscyami coctum, Tinctura Opii, Radix Columbo, Camphora, Valeriana; atque si paralysis instat, tunc largiori manu porrigantur Serpentaria, Arnica, Naphtha, Olea aetherea et empyreumatica, nec non medicamina narcotica inprimis primi ordinis Vogt 1).

Ad symptomata curanda multa etiam offeruntur medicamina. Alvi fluxus aptis medicaminibus temperetur, obstructio solvatur, sed non purgantibus drasticis.

Peripneumonia 1), quae non raro metuenda est,

1] Voigts Pharmakodynamik.

2] Equidem vidi peripneumoniam etiam peritonitidi accedentem.

sinapismos et cardiaca implorat, inprimis putrescentia humorum instante. Observandum autem erit regimen diaeteticium temperans, atque, aegrotae si debiliores fiant, roborans, nullo modo autem nimis irritans. Quia autem tam multiplex est curae modus, atque a multis in therapeutice illustrissimis viris iam praescriptus, a tanta, tamque difficili re, abstinere fas habeo atque quae ipse in animo habui, inprimis de pathologia febris puerperalis quaedam dissere, iam pro viribus absoluta sunt, cetera futuro tempori maiorique experientiae relinquere velim.

CURRICULUM VITÆ
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADIECTUM.

Ego Adolphus Schmeisser, Holsatus, confessioni Lutheranae addictus, Altonae natus sum die XI. mensis Julii MDCCCII., patre J. G. Schmeisser med. doctore, qui tunc temporis artem pharmaceuticam exercebat, matre Luisa e gente Texier.

Primis me eruditum litterarum elementis, quae in schola docebantur, cui vir. doctiss. Voss praeest, anno MDCCCXVIII. gymnasium academicum, Christianeum Altonanum excepit, doctore atque professore Iac. Struve tunc temporis directore Illustrissimo.

Incipiente anno MDCCCXXI. Brunsvigam petii et in pharmacopola aulica duos per annos arti pharmaceuticae operam dabam. Tum eadem in urbe Collegium Carolinum per semestre unicum frequentavi, ut aptus fierem, qui ad litterarum universitatem abirem ad studia incipienda, quam Hafniae primum petii a. MDCCCXXIII aestate peracto sub auspiciis rectoris magnifici Oerstedt.

His ibi scholis interfui, virorum maxime reverendorum.

Illustr. Schumacher, de anatomia universa, Illustr. Herholdt, de physiologia generali, Illustr. Bang de therapia speciali. Beat. Howitz de materia medica; Illustr. Saxtorph, de morbis infantum; Illustr. Hornemann de terminologia et botanice universa; Illustr. Oerstedt de physica et chemia experimentali; Illustr. Oehlenschläger de aesthetice; Celeb. Zeise, de chemia pharmaceutica.

Nec non iis qui chirurgiae operam dederunt adscriptus sum, a celeberrimo directore generali Academice regiae chirurgorum Hafniensis, Colsmann.

Has scholas in academia frequentavi.

Illustr. Colsmann, de angiologia, neurologia et pharomacologia generali; Illustr. Witthusen de osteologia, myologia et splanchnologia; Illustr. Fenger, medici regis, de akiurgia et elementis artis obstetriciae. Ill. Callisen de chirurgia universali et pathologia, de therapia universali; Celeb. Henke anatomiam privatissime me instituit. Celeb. Schiött artem fascias imponendi et cadavera rite dissecandi me docuit. Celeb. Müller de ossibus fractis et luxatis me instituit.

Exercitationibus clinicis in nosocomio regio Fridericiano ab Illustr. Herholdt et Witthusen moderatis nec iis quae in nosocomio Metropolitano ab Illustr. Wendt moderantur, auscultans adfui. Hinc anno MDCCCXXV Berolinum me contuli ut in alma quae ad Spream floret, academia Fridericiana, artis medicinae studium absolverem, et die Xmo mens. Novbr. a rectore magnifico Bockh, atque maxime spectabili decano Link inter civium academicorum numerum receptus sum.

Hic per duos annos his praelectionibus adfui. Illust. Rudolphi, de anatomia comparata et anatomia organorum sensuum et foetus; Illustr. Horkel, de physiologia; Perill. Hufeland de therapia generali et speciali. Beat. Berends Hippocratis aphorismos sermone latino mihi illustravit. Illustr. Horn, de pathologia et therapia speciali, de morbis syphiliticis et mentis; Illustr. Rust, de chirurgia universa et speciali, nec non de morbis syphiliticis; Illustr.

Hermbstädt, de pharmacia et chemia experimentali; Illust. Link de toxicologia; Illust. Kluge artem obstetriciam theoreticam et practicam, exercitationes in phantomate mecum instituit. Celeb. Hecker de pathologia universali; Celeb. Jüngken de morbis oculorum; Illustr. de Humboldt de geographia physica. Celeb. Schlemm repetitiones anatomiae mecum instituit.

Scholis clinicis quae florent sub auspiciis. Illustr. Rust in institutio clinico chirurgico et ophthalmiatrico nosocomii Caritatis, de chirurgia et oculorum morbis adfui. Institutum clinicum chirurgicum universitatis, sub auspiciis Ill. de Graefe nec non medicum sub beat. Berends auspiciis, frequentavi. Exercitationibus clinicis de morbis syphiliticis ab Ill. Kluge moderatis adfui. Exercitationes clinicas obstetricias in instituto regio obstitricio universitatis, ab Illustr. de Siebold moderatas frequentavi. Praeterea institutum policlinicum, quod duce Perillustr. Hufeland et viris Ill. Osann et Busse summo honore viget, frequentavi.

Nunc omnibus hisce professoribus illustrissimis et praeceptoribus de me meritis, gratias quam maximas, ago. Tentamine vero et examine rigoroso rite absolutis, dissertatione thesibusque defensis spero fore ut summi in medicina honores per Decanum maxime spectabilem in me deferantur.

THESES DEFENDENDAE.

Methodus antiphlogistica in omnibus morbis adhibenda est.

Aqua frigida optimum est antiphlogisticum remedium.

Metalla sunt optima remedia materiae medicae.

Viri sunt praestantissimi obstretrices.

Dentitionem infantum morbum esse nego.